iracundiam temperasse. Ipsarum uero prisce philosophiae studiis uis musicae artis innotuit. ut pythagorici cum diurnas in somno resoluerent curas quibusdam cantilenis uterentur ut eis lenis & quietus sopor inreperet. Itaque experrecti aliis quibusdam modis stuporem somni confusionemque purgabant. Id nimirum scientes quod tota nostrae animae corporisque compago musica coaptatione coniuncta sit. Nam ut sese corporis affectus habet. ita etiam pulsus cordis motibus incitantur. Quod scilicet & democritus hippocrati medico tradidisse fertur. Cum eum quasi in insanum cunctis democriti ciuibus id opinantibus in custodia medendi causa uiseret. Sed quorsum ista? quia non potest dubitari quin nostrae animae & corporis status eisdem quodammodo proportionibus uideatur esse compositus. quibus armonicas modulationes posterior disputatio coniungi copularique monstrabit. Inde est enim quod infantes quoque cantilena dulcis oblectat. Aliquid uero asperum atque inmite ab audiendi uoluptate suspendit. Nimirum id etiam omnis aetas patitur omnisque sexus; quae licet suis actibus disiuncta sint. una tamen musicae delectatione coniuncta sunt. Quid enim fit cum in fletibus luctus ipsos modulantur dolentes? quod maxime muliebre est. ut cum cantico quodam dulcior fiat causa deflendi. Id uero etiam fuit antiquis in morem. ut cantus tibiae luctibus praeiret. Testis est papinius statius hoc uersu. Cornu graue mugit adunco tibia. cui teneros suetum producere manes. Et qui suauiter canere non potest. sibi tamen aliquid canit. Non quod eum aliqua uoluptate afficiat id quod canit. sed quod quandam insitam dulcedinem ex animo proferentes quoquomodo proferant delectantur. Nonne illud etiam manifestum est in bellum pugnantium animos tubarum carmine accendi? Quod si uerisimile est ab animi pacato statu quemquam ad furorem atque iracundiam posse proferri. non est dubium quod conturbatae mentis iracundiam uel nimiam cupiditatem modestior modus possit astringere. Quid quod cum aliquis cantilenam libentius auribus atque animo capit. ad illud etiam non sponte conuertitur. ut motum quoque aliquem similem auditae cantilenae corpus effingat. Et quod omnino aliquod melos auditum sibi memor animus ipse decerpat. ut ex his omnibus perspicue nec dubitanter appareat. ita nobis musicam naturaliter esse coniunctam. ut ea ne si uelimus quidem carere possimus. Quocirca intendenda uis mentis est. ut id quod naturae est insitum scientia quoque possit comprehensum teneri. Sicut enim in uisu quoque non sufficit eruditis colores formasque conspicere nisi etiam quae sit horum proprietas inuestigauerint. sic non sufficit cantilenis musicis delectari. nisi etiam quali inter se coniuncta sint uocum proportione discatur.

Democritus populi seruus iudicia

Ad alexogas mortuos cum tibiis canebant.

dulces

diffinitio substantiae unicuiusque rei

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. p.%2026 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/p.%2026)